



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Formularium Episcopale

Barbosa, Agostinho

Coloniae Agrippinae, 1680

Formula XVIII. Litterarum testimonialium collationis primae Tonsurae pro bastardo, cum dispensatione ad minores ordines, & beneficium simplex obtinendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10456

re insignivimus, clericali que militiæ, ac Ecclesiæ S. N. adscripsimus. In quorum fidem præsentem litteras nostro igno sigilloque munitas ei concessimus. Datum, Bracharæ Augustæ &c.

FORMULA XVIII.

Litterarum testimonialium collationis primæ Tonsuræ pro bastardo, cum dispensatione ad minores ordines, & beneficium simplex obtinendum.

D. Rodericus, &c. Universis, & singulis præsentem nostras litteras inspecturis, lecturis, pariter & audientibus, salutem in Domino sempiternam Notum facimus, & attestamus, quod nos die sabbathi quatuor temporum die, . . . Mens. . . in Ecclesia nostra Metropolitana sacros Ordines celebrantes dilectum nostrum N. scholarem hujus nostræ diocesis ad hoc repertum idoneum intra Missarum solemniam characterem clericali insignivimus ac primam clericalem Tonsuram illi contulimus: & cum eodem super defectu natalium quem patitur, de Presbytero genito, & soluta, ut ad minores Ordines promoveri, & beneficium Ecclesiasticum, cui cura non imminet animarum, si sibi canonicè conferatur, recipere & retinere liberè & licitè possit, hujusmodi defectu non obstante, auctoritate nostra Ordinaria dispensavimus, & per præsentem dispensavimus, & per testimonium &c. Dat. &c.

Episcopus cum illegitimis ad Ordines & beneficia quando possit dispensare sup. Alleg. 45.

ALIA FORMULA

Dispensationis auctoritate Ordinaria pro illegitimo ad Ordines Minores, & beneficium simplex.

D. Rodericus, &c. dilecto nobis in **CHRISTO** N. filio naturali N. & N. incolarum oppidi N. hujus nostræ diocesis, Salutem in Domino. Laudabilia tuæ puerilis ætatis indicia, ex quibus verisimiliter concipitur, quod in futurum te debes producere in virum probum, & quod incontinentiæ paternæ imitator non eris, nos inducunt ut tibi favorabiliter concedamus, quæ tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Propterea tecum, qui (sicut accepimus) defectum natalium ex soluto, & soluta genitus pateris, ut eo non obstante prima clericali Tonsura insigniri, & ad quatuor minores Ordines rite & rectè promoveri facere, ac unum tantum beneficium Ecclesiasticum sine cura, ad quod te pro tempore præsentari, & in illo institui, seu de illo tibi provideri Canonicè contigerit, recipere, & obtinere, seu illius loco pensionem Ecclesiasticam tibi alias Canonicè reservandam, percipere, exigere, levare, ac in tuos usus, & utilitatem convertere liberè, & licitè possis & valeas, auctoritate nostra Ordinaria, vel ut meliùs de jure possumus, dispensamus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

In quorum fidem præsentem litteras nostris nomine & sigillo munitas, per infrascriptum Secretarium nostrum referendatas tibi jussimus concedendas, & concessimus. Datum, &c.

C 2

FOR-